



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quòd litera occidit, & spiritus viuificat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

impetrat gratiam, qua facit homo quæ lex exigit. Nā sine gratia, id est, Dei adiutorio homo legem facere non potest: Litera igitur significat & dicitur omnis cogitatio, locutio, observatio operis, vel conatus rationis sine Spiritu sancto. Spiritus dicitur lex Dei, id est, quod Spiritus sanctus excitat in cordibus motus spirituales novos, legi Dei consentientes, ut est Fides, dilectio, timor, charitas, benignitas, pax, &c. Galat. 5. fructus spiritus &c. Nam nisi Spiritus sanctus excitaret hos novos motus in cordibus nostris, ut liberè & voluntariè consentiamus legi Dei, necdū lex Mosaica, sed & Euangelium est litera.

2. Dicit Apostolus 2. Corinthior. 3. quod litera occidat, Spiritus autem vivificet. Lex Moysis sic occidit, quia exigit & iubet satisfactionem, & maledicit non observantem, Deuteronom. XXVII. Nec lex hoc donat quod exigit, nempe virtutem & adiutorium faciendi legem. Et caro nostra est inimica, & non subiecta legi Dei, Rom. 8. Non potest ex suis viribus legem Dei servare, & sic relinquitur conscientia angustiata & propinqua desperationi, & illud dicitur occidere. Nam tamen si lex quandam efficit disciplinam externam, qua cohibentur peccatores & iniusti, non liberat tamen à morte, & semper accusat conscientias lex, quateus illi non satisficit: ob id occidit conscientias. Spiritus autem vivificat sic, quando conscientia apprehendit Christum operatione Spiritus sancti, quæ fides docet gratuitam remissionem peccatorum propter Christum, id est, quod Deus vult reputare peccatorem gratis, propter fidem in Christum, iustum, ac tanquam legi satisfecisset, probum, tunc liberantur corda à terroribus, & conscientia fit læta ac consolata, & tanquam de profundo lacu exurgit, & lætatur in Christo. Et sic dicitur vivificare mortuam penè conscientiam, propter exactam observationem legis.

Et sic

Et sic discernit Apostolus 2. Corinth. 3. Vetus & nouum testamentum, vt vetus vocet literam & administrationem mortis, econtra nouum Testamentum seu Euangelium, administrationem Spiritus & vitæ. Nam Euangelium offert Spiritum sanctum credenti, qui dat adiutorium homini, vt possit satisfacere & implere legem. Litera quidem ostendit peccatum, Rom. 3. At Euangelium seu Spiritus sanctus ostendit, quomodo remittitur. Ideò rectè dixit Augustinus: Lex ideò data est, vt quærat: gratia verò ideò, vt lex adimpleatur. Et sic propriè dicitur, litera occidit, Spiritus autem viuificat.

Orthodoxi patres variū sensum (deutung) Scripturæ notarunt, tum propter ornatum sermonis, tum mysticum intellectum. Ornamus aliquem sermonem, sicut corpus annulo vel catenis & id genus clenodijs, sicut & Christus & sancti vsi sunt similibus. Sic Ioan. Baptista Lucæ 3. nominat Iudæos gemina viperarum, & Paulus Pseudopphetas canes, Coloss. tertio, & Christus discipulos sal terræ, Matthæi quinto, & Christus se vitem, Ioan. 15. Quæ omnia propter simplices notantur, qui mysteria non capiunt: quare corporalibus similitudinibus oportet illos manu duci. Sic & habent sensum quadruplicem scripturæ: literalem, allegoricum, anagogicum & tropologicum: Litera docet gesta, vt Genes. 1. fiat lux, scilicet illa corporalis in mudo: Allegoria, quid credas fiat lux, id est, Christus, qui est lux mundi, Io. 8. Tropologia, quid agas, fiat lux, id est, Christus quem imitemur. Anagogia, quid speres fiat lux, id est, Christus, qui illum sequitur, non confundetur in æternū, Rom. 10.

Dicitur quoque lex etiam spiritualis, sicut inquit Apostolus Roman. septimo, Lex spiritualis est, ego autem carnalis: quia requirit motus spirituales siue actus spiritus, vt veram fiduciam, dilectionem & verum timorem.

rum ti-